



1772, 14.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI
AN

LEGATVM SVB CONDITIO-
NE IN ALTERIVS ARBITRIVM COL-
LATA, SI CASV IMPEDIATVR
CONDITIO, DEFICIAT

202
P. 3

QVAM
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISBVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VI. OCTOBR. ANNO CIDIÖCCLXXII.

DEFENDET

PAVLVS CHRISTIANVS HOFFMANNVS

PVLSNIT. LVSAT.

LIPSIÆ
LITERIS RUMPFIIIS.



QUESTIO
IN HOC CONTOVERSI
LIBRUM SIVE CONDITIO
NE IN ALIIS SARIUM COL
LATA, SI CASU IMPEDIVR
CONDITIO, DEBEAT

575

RECTORIS ICTORVM ORDINIS GRATIA
D. CHRISTIANO HENR. BRUNNING
PROFESSOR PRAEPOSITO ORDINIS IURIS ET GENT
ET SOCIIS ANTIQ. IURIS
IN AUSTRIIS PRAESIDI
HIS IN GORON ANNO DOMINI

PAVVS CHRISTIANVS HOFMANNVS
LIBRARIVS
DIRECTVS





AN

LEGATVM SVB CONDITIO-
NE IN ALTERIVS ARBITRIVM COLLATA,
SI CASV IMPEDIATVR CON-
DITIO, DEFICIAT.



§. I.

Hereditates sicut vel pure, vel sub conditione relinqui possunt, ita et legati conditio adscribi poterit, de quo nemo dubitat. Conditionum vero varia genera efformavit ars iureconsultorum. Cum enim ab euentu futuro, at incerto pendet valor vel legati, vel ipsius hereditatis, ita ille euentus videbatur pendere vel ab *arbitrio* eius, cui imposta conditio, vel a mero *casu*, vel demum coniunctim a *casu* et hominis *arbitrio*. Sunt, qui, quod Stoica sit illa partitio conditionum, eandem grauiter taxent atque indignam doctrinae Christianorum Ictorum arbitrentur. Quasi vero gentilium error ad saniora religionis castissimae principia purgatus ipsam partitionem improbandam iubeat. Errarunt Stoici, qui casum sibi fingebant, quasi nulla numinis prouidentia gubernaret cuncta; arbitrio tribuebant, quae tamen sine nutu prouidentiae tribui haud poterant. At quid prohibet,

A 2

quo-

quominus casu dicamus omne id fieri, quod ex diuinæ prouidentiae ordine naturæ rebusue præscripto contingit, contra ea arbitrio nostro vindicemus, ad quæ, posita prouidentia non impediende voluntatem nostram determinemus. Mixta, quæ ex parte non impediende diuina prouidentia a voluntate nostra veniunt, non vero sola, sed vel conspirante aliorum voluntate, vel concurrente naturæ ordine, quem diuina prouidentia definiuit. Et forsitan Christiani orientis legislatores non minus Christiani, ac nos, hanc conditionum diuisionem tolerandam censuere; ita enim et in aliis veteris iuris terminis fecerunt, quos ad sanctissimæ religionis ideas repurgarunt.

§. II.

Quicquid vero sit, nullo modo hæc conditionum diuisio potest omitti, cum diuersis illis conditionum generibus, diuersa iura diuersique effectus in libris iuris ciuillis tribuuntur. Nos quaedam tantum dicturi sumus de illa specie mixtæ conditionis, cuius implementum in alterius arbitrium collatum, utpote si **TITIAM DVXERIT IN MATRIMONIVM**. Quamuis enim ducere paratus sit Titiam, pendet tamen ab arbitrio Titiae, an nuptura sit legatario. De hoc vero conditionum genere formant regulam: Si per arbitrium impediatur, quominus adimpleatur conditio, adimpletam dicunt, deficere vero eam adferunt, si casu contingat, quod adimpleri non possit.

§. III.

Quod ad eam regulam attinet, ex qua docti viri putant, conditionem adimpletam esse habendam, si alter in cuius arbitrium collata simul conditio, dissensu suo efficiat, quominus adimpleri possit conditio, rectam eam esse, nos legum autoritas dubitare non sinit. Confirmat eam **PAVLVS** in *L. 3. π. de condit. institut.* Scribit: *Si ita heres institutus sum, SI DECEM DEDERO; et accipere nolit, cui dare iussus sum: pro imple-*

❁ ❁ ❁

impleta conditione habetur. Consentit cum Paulo IULIANVS in L. 11. π. eod. Ait: Si quis testamento hoc modo scripserit: FILIVS MEVS, SI TITIVM ADOPTAVERIT, HERES ESTO: SI NON ADOPTAVERIT, EXHERES ESTO: et filio parato adoptare, Titius nolit se arrogandum dare, erit filius heres quasi expleta conditione. Neque diuersa est illa species, quam MARCELLVS in L. 23. π. eod. refert: VTER EX FRATRIBVS MEIS CONSOBRINAM DVXERIT VXOREM EX DODRANTE, QVINON DVXERIT, EX QVADRANTE HERES ESTO. Si neuter eam duxerit vxorem, non quia ipsi ducere noluerunt, sed quia illa nubere noluerit: ambo in partes aequales admittuntur.

§. IV.

At difficilior est altera causa, scilicet, si casu impediatur, quominus adimpleri possit conditio, et in hac adfirmant, deficere conditionem, sicque legatum praestari non debere. Probant hanc regulam ex autoritate AFRICANI in L. 31. π. de condit. et demonstrat. Scribit: In testamento ita erat scriptum: STICHVS ET PAMPHILA LIBERI SVNTO, ET SI IN MATRIMONIUM COIERINT, HERES MEVS HIS CENTVM DARE DAMNAS ESTO. Stichus ante apertas tabulas decessit, respondit, partem Stichi defectam esse, sed et Pamphilam defectam conditione videri, ideoque partem eius apud heredem remansuram. Et dein subiicit: Nam cum vni ita legatum sit: TITIO, SI SEIAM VXOREM DVXERIT, HERES MEVS CENTVM DATO. Siquidem Seia moriatur, defectus conditione intelligitur. Vtuntur amplius autoritate HERMOGENIANI in L. 94. π. eod. Diuersa, inquit, causa est legatarii, in cuius persona placuit condicionem deficere, si, antequam dederit legatarius pecuniam, Titius moriatur.

§. V.

Quanta quanta vero autoritas harum legum sit, tamen contraria sententia veteribus Iurisconsultis non displicuisse videtur. Si enim VLPIANVM in L. 8. §. 7. de Condit. inflit.

6

instit. audimus, contrarium ab Africano et Hermogeniano statuere videtur. Scribit: *Idem est, et si ita heres institutus esset quis: TITIVS HERES ESTO ITA, VT STICHVM MANVMITTAT aut TITIO CENTVM ITA LEGO, VT STICHVM MANVMITTAT.* Nam Stichus mortuo nemo dicet, summouendum eum. Non videtur enim defectus conditione, si parere conditioni non potest. Consentit cum Vlpiano POMPONIVS in L. 54. §. 2. π. de Leg. I. Sed et si serui mors impediisset manumissionem; cum tibi legatum esset, si eum manumississes, nihilominus debetur tibi legatum, quia per te non sterit, quominus perueniat ad libertatem. Nec dissentire videtur IULIANVS in L. 92. §. 1. π. de leg. I. Si Titio pecunia legata fuerit; et eius fideicommissum, ut alienum seruum manumitteret; nec dominus eum vendere velit: nihilominus legatum capiet, quia per eum non stat, quominus fideicommissum praestet, nam, et si mortuus fuisset seruus, a legato, non submouetur.

§. VI.

Quid ergo dicamus in tanta iurium varietate. An cum LVDOVICI in Doctr. Pandect. L. XXIX. tit. VII. §. 8. auxilium quaeramus in Antinomia, quam ipse nullo modo conciliari posse pronunciat. Sane hoc iudicio, si aliud supererit, non utar. Quamuis enim negari nequit ICROS veteres in dubiis causis dissentisse inter se, tamen causa conditionis deficientis non videtur esse tam dubia, ut praeter necessitatem dissentium lureconsultorum statuamus, ubi aliud decidendi explicandique medium superfit. Multo minus in hac causa compillatorum negligentiam accusarem, adfirmata antinomia, quippe facillime potuisset hic veterum dissentus observari, ut eo facilius contrariam opinionem, quam suorum temporum et fori rationibus aduersaturam vidissent, omittere potuerint. Aliud ergo remedium quaerendum, neque puto, Pomponium et Vlpianum ab Africano et Hermogeniano dissentire. Hoc probabimus.

§. VII.

§. VII.

Regula est: legata deficiunt, quorum conditio in alterius arbitrium collata, si antequam possit consentire alter, moriatur, eaque est sententia Africani et Hermogeniani, quippe si moriatur, deficit arbitrii determinatio ad adimplendam conditionem, hinc ipsa necessario deficere debet conditio, sicque ipsum legatum. Nam ea est harum conditionum natura, ut utriusque voluntatem suam, determinare simul debeant, quod a mortuo nunquam fieri poterit.

§. VIII.

Contra vero plane ad eas condiciones, quae simul in alterius arbitrium collatae sunt, themata Pomponii, Vlpiani atque Iuliani referri nequeunt. Ea enim conditio, quae in horum Iureconsultorum capitibus legitur, non est conditio in alterius arbitrium collata. Nam hereditas vel legatum relictum erat, si Stichum manumitteret. Quis vero de seruo romano, qui semper rebus adnumeratur, quique dominio domini subiectus, adfirmabit liberum arbitrium, ut vel consentire in manumissionem vel dissentire possit. Iam vero, si dominus seruum manumittebat, nulla serui consensus ratio habebatur, sed suo se abdicabat dominio dominus, qui seruum liberum esse iubebat. Plane ergo ex romanorum iudicio conditio: Si Stichum manumiserit, inter potestativas referenda videtur; conf. BACHOVIVM ad Treutler. Vol. II. Disp. XIII. Th. IV. lit. f. hinc de alia conditionum specie disputant Africanus et Hermogenianus et de alia Pomponius et Vlpianus, ut ne dissensus quidem inter eos cogitari possit.

§. IX.

At superest adhuc difficultas. Putat Pomponius: si mortuus fuerit Stichus non deficere conditionem et recte legatum peti posse. Sed si sic statuamus, fallet regula



gula VLPIANI in L. 41. 7. de cond. et demonstr. Legata sub conditione relicta non statim, sed cum conditio exstiterit, debent incipiunt. Tamen adhuc salua res est. Ea enim conditionum potestuarum est ratio, vt post mortem testatoris debeant adimpleri teste VLPIANO in L. 2. 7. de cond. et demonstr. Itaque si casu id efficitur, vt post mortem testatoris non possit adimpleri, non deficit conditio, sed remissa et non adiecta videtur, quia impossibilibus adnumeranda. Quapropter cum apud VLPIANVM in c. l. 8. agitur de themate, si Stichus viuo testatore mortuus esset, quod ex §. 7. cit. loc. adparet, etiam in eo ipso themate pergit ICTUS: Idem est, et si caet. Non ergo poterat deficere conditio, quae amplius conditio non erat. Et sic intelligenda ratio Vlpianea: Non videtur enim defectus conditione, si parere conditioni NON POSSIT, implenda est enim voluntas SI POTEST. Si ergo mortuus seruus, impossibilis fiebat conditio, hincque pro non adiecta habenda. Neque aliter explicandus POMPONIVS in loc. cit. 54. §. 2. Verba enim si serui mors IMPEDIVISSET manumissionem indicant, impossibilem esse conditionem. Nam ea est potestatiua conditio, si apud me fiat, quae adimpleatur. Iam mortuo Seruo manumittendo, factum manumissionis, quod in conditione positum impossibile fit, si subiectum manumissionis haud adfit. Recte ergo ait Pomponius: debetur ergo legatum quia per te non fecit, quominus perueniat ad libertatem. Non ergo adiecta videbatur conditio, quae impossibilis, cum testatoris voluntas, cui parendum esset, is esset, vt viuus Stichus manumitteretur. Tandem IULIANI autoritas in L. 92. §. 1. 7. de Leg. 1. plane de conditionato legato non agit, neque contraria esse potest Africano et Hermogeniano, cum licet fideicommissum praestari non possit, propterea, quod modus non possit adimpleri, ipsum legatum non possit deficere.

Leipzig, Diss., 1772 A-R



f
TA-70L

Nur 23. Stk. bisher versch.



1772, 14.

QVAESTIO
IVRIS CONTROVERSI

AN

LEGATVM SVB CONDITIO-
NE IN ALTERIVS ARBITRIVM COL-
LATA, SI CASV IMPEDIATVR
CONDITIO, DEFICIAT

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS GRATIA

PRAESIDE

D. CHRISTIANO HENR. BREVNING

PROFESSOR. PVBLIC. ORDIN. IVR. NAT. ET GENT.

ET SOCIETAT. LITER. DVISVVRG.

SOCIO

IN AVDITORIO PETRINO

DIE VI. OCTOBR. ANNO CIDIÖCCLXXII.

DEFENDET

PAVLVS CHRISTIANVS HOFFMANNVS

PVLSNIT. LVSAT.

LIPSIAE

LITERIS RVMFFIIS.

